



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Fasti Mariani**

**Brunner, Andreas  
Pfeffer, Wilhelm**

**Antverpiæ, 1663**

S. Varus Mart. 19. Octobris.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-41940**

19. Octob. VITÆ SANCTORUM. 653  
monstro perculsi equites, & ad tristem  
aspectum exclamat pater fraterque. Ve-  
rūm solatur utrumque J u s t u s : nem-  
pe officium se filii fecisse, vitam, quam  
a patre accepisset, reddidisse. Demùm  
caput suum offert, mandatque, matri  
ferant tumulandum. Id cùm factum  
est, tanto lumine ædes maternas com-  
plevit, ut sua etiam oculis cæcæ puellæ  
lux rediret, puto, ut qui in J u s t o  
illustre sive in fratrem sive patrem pietatis  
exemplum non videt, etiam cæcis  
minus se videre videat. Ex Surio.

Si propter proximum Christus sanguinem effudit, quid magnum facis, si per exhortationem jacentum erigas? Quinimò, si periclitandum etiam fuerit pro salute alterius, non subterfugiamus. Nam id nobis salutis erit occasio, multamque conciliabit fiduciam. S. Chrysost.

S. VARUS MART. 19. Octobris,

V Idit & persæpē laudavit Agyptus  
V A R I militis virtutem, sed nū-  
quam magis, quām cùm in ipsum Imperatorem suum Maximianum pugnavit,  
sine perfidiā, quia pro fide. Pugnæ verò  
occasio hæc fuit, Septemgemi Martires  
è vinculis libertatem Christianam  
propugnabant. His dūm V A R I s inser-  
vit, ecce uni ex eorum numere cælum  
beatâ morte vacationem à militiâ do-  
nat.

654 VITÆ SANCTORUM. 19. Octob.  
nat. Sed ne numero suo fortissima cohors  
destitueretur, ultrò V A R U S noster in  
demortui stationem succedit. Mox Chri-  
stianæ fortitudinis ingentia documenta  
contra equuleum, scorpiones & plumba-  
tas edit, nec prius è pugnâ quam mortuus  
& victor abit, viâ ingenti & fortissimæ  
animæ per novaculâ dicissum ventrem fa-  
ctâ. Corpus Martyris sepultum in cani-  
bus volebat tyrannus; sed Cleopatra no-  
bilis matrona secum hoc in Palæstinam  
avexit, toto templo (quod illi postea ex-  
truxit) tumulandum. Finem ubi adisci-  
candi fecit, ausa mercedem à Martyre spe-  
rare, induxit in templum filium, petiit  
que, optima quæque illi Varus à Deo im-  
petraret. Mox alia omnia, quâm orasset  
fieri putavit, cum mori filium sub oculis  
suis vidiit. Tunc verò lacrymis mater &  
singultibus cælum accusare, Varum ingra-  
titudinis notare. Sed hic unâ cum filio  
multâ gloriâ vestito, & coronato, visus  
Cleopatræ, docuit nihil petere filiis ma-  
tres, nihil dare cælum posse beatius quâm  
mortem beatam. Ex Surio.

Certamen tuum non est leve, nec risu dignum, Angelos & Angelorum Dominum in-  
luctâ, quæ tibi cum diabolo est, habes spec-  
tatores. Vincente te & adversarium pro-  
sternente plaudunt Angeli, & Deum lau-  
dant, qui tibi hostem vincendi dedit facili-  
tatem. S. Ephrem. de pœnit.

S. ETH.